

absolveret & ejus longitudinem æri incidit, ut eadem observatione in Galliam regressus iterata, utramque mensuram conferre posset. Constat enim pari gravitatis vi longiora pendula lentius oscillationes suas peragere, breviora citius; pari longitudine penduli & diversa vi gravitatis ea pendula lentius moveri, quæ minori aguntur vi; si autem bina pendula eodem tempore oscillationes suas peragant, quæ idcirco *isochrona* appellantur, inæqualem vero habeant longitudinem; illud quod longius est gravitate majori urgetur. Hæc quidem omnia pendent ex pendulorum doctrina quam deinde explicabimus; interim vero evidense est vim majorem esse, qua fit ut pendulum eodem tempore per majores arcus excurrat. Nec Richeri spes sefellit eventus; regressus enim Parisios ita brevioris penduli isochroni mensuram invenit, ut is quidem de inæqualitate gravitatis in diversis terræ locis dubitare omnino non posset.

Rei novitas universam perculit litterariam Rempublicam atque commovit mirum in modum, multis sub inirium reuuentibus; aliis observationum vitio phænomenum tribuentibus, aliis vi caloris durissima quæque metalla dilatantis; nec defuerunt, qui observationibus per Europam institutis gravitatem ubique æqualem se invenisse affirmarent, cum nimirum iis methodis, quæ tum in usu erant minus perfectæ & perpolitæ, exiguum discrimen in tam exiguis locorum intervallis nequaquam deprehendere potuerint. Hinc observationes multo accuratiores in plurimis & admodum diffitis